

et morientes christiana carent sepultura. Istud enim interdictum est ferendae sententiae et, juxta declarationem S. C. Ep. et Reg. 14 Jun. 1596, Rit. Rom. eos tantum recenset " de quibus publice constat, quod semel in anno non susceperunt sacramenta confessionis et communionis in Pascha, et absque ullo signo contritionis obierunt. „ Quare iis applicanda sunt quae supra statuta sunt de morientibus in publica impenitentia. (Aichner, l. c. nota 20) Igitur, nisi adsit statutum synodale in contrarium, qui a sacramentis in Paschate abstinebant, quoad cetera vero vitam scandalosam non ducebant, poterunt ecclesiastica sepultura donari: nam, praesertim ubi multi Paschale officium neglegunt, nullum novum scandalum datur fidelibus ubi hujusmodi homines donantur ecclesiastica sepultura, modo sacramenta in fine vitae non respuerint.

## SECTIO II. — DE IRREGULARITATIBUS.

### CAPUT I.

#### NOTIONES GENERALES.

##### § I. QUID ET QUOTUPLEX SIT IRREGULARITAS.

**629. DEFINITIO.** Irregularitas, vi nominis primum ab Innoc. III (Decr. l. 1. t. 9. c. 10) usurpati, designat defectum qualitatis requisitae ut quis *regulae* seu canoni clericorum adscribatur. Recte autem, nostra sententia, definitur (neque enim omnes in hac re concordant): Impedimentum canonicum de se perpetuum, quod per se primario ordinibus suscipiendis et secundario iisdem exercendis obstat.

*Impedimentum canonicum.* Igitur omnis irregularitas e canone seu Jure oritur, nulla per sententiam ab homine imponitur. Insuper ab irregularitatibus proprie dictis excluduntur inhabilitates ordinum suscipiendorum, quae e lege divina aut naturali oriuntur, quales occurrunt in mulieribus, infidelibus, absolute coactis. Nam proprie dicta irregularitas afficit eos tantum qui, spectata sola lege naturali aut divina,

ordinis suscipiendi capaces sunt, sed ab eo suscipiendo per legem canonicam removentur. Hinc etiam patet quare, ut innuit Bonif. VIII (6<sup>o</sup> Decr. l. 5. t. 11. c. 18), nulla irregularitas incuratur, nisi in Jure expressa fuerit. Neque ulla lege vel consuetudine particulari novae irregularitates induci possunt.

*De se perpetuum.* Inhabilitates enim quae, absque dispensatione, tolli seu ipso facto cessare possunt, non sunt irregularitates proprie dictae, puta defectus aetatis vel scientiae sufficientis ad ordinem quemdam suscipiendum. Saltem haec est multorum et verior sententia, quamvis plures hanc condicionem perpetuitatis in definitione non ponant, vel etiam defectus hujusmodi inter irregularitates enumerent. Cfr. Gasparri, Tract. de S. Ordinatione, n. 169.

*Quod per se... obstat.* Hinc patet discrimen irregularitatis cum censura quae etiam saepe obstat ordinibus suscipiendis vel exercendis, non autem per se et directe, sed quasi per viam consequentiae ad poenam illatam. Igitur Ecclesia, dum impedimenta induxit, ante omnia intendit a clero arcere eos quos, ob reverentiam sacrorum ordinum, iis recipiendis indignos vel incapaces judicat. Si qui ergo ob aliam rationem ab iis suscipiendis arcentur, ex. gr. conjugati ne laedatur jus compartis, non sunt in proprio sensu habendi ut irregulares.

*Primario ab ordinibus suscipiendis, secundario ab iisdem exercendis.* Vid. Ecclesia, dum statuit irregularitates, imprimis intendit remove a clero eos qui, ob maculam quamdam voluntariam vel involuntariam, nequeunt decenter clericis aggregari; quodsi quis ex iis jam aggregatus sit, prohibet ne indecore exerceat ordines jam susceptos vel ad altiores ascendat. Ordines autem hic intelleguntur omnes, etiam prima tonsura: haec enim est praeparatio ad ordines, quae frustra datur iis qui ab ordinibus arcentur. Attamen, ubi de exercendis ordinibus quaestio fit, irregularitas minime prohibet quominus ordines minores exerceantur: quippe qui passim a laicis obeantur. Tandem certum est irregularis ordinationem esse graviter illicitam, minime vero invalidam. Nam, licet Ecclesia potuisset irritam facere collationem ordinum quos ipsa instituisse videtur (n. 425), numquam talem irritationem statuit.

Ex dictis apparet quisnam sit duplex immediatus irregularitatis effectus: impedire ab ordinum susceptione vel a susceptorum exercitio. Jurisdictionem vero non adimit irregularitas: ac proinde confessarius irregularis valide, quamvis illicite, absolvit. Per accidens eadem prohibet a recipiendis beneficiis, quibus adnexum sit officium, quo irregularis fungi nequeat; sed cum nullo claro Juris textu constet collationem beneficii irregulari factam esse invalidam, verius tamquam valida habenda est. (D'Annib. l. n. 401. nota 17)

**630. DIVISIO.** Irregularitates proprie dictae non videntur distinguendae nisi in eas quae *ex defectu* et eas quae *ex delicto* oriuntur. Priores eae sunt quae proximam originem trahunt ex absentia alicujus qualitatis ad rectam ordinum susceptionem vel exercitium requisitae; posteriores vero eae sunt quae proxime e delicto proprio oriuntur. Hinc irregularitas potest esse ex defectu, quamvis praesupponat delictum alienum, ut illegitimitas, vel etiam delictum proprium, ut, juxta multorum sententiam, infamia ob enorme scelus cuidam inusta. Saepe tamen dubium est utrum aliqua irregularitas ex defectu an ex delicto oriatur. Jamvero in dubio probabili, tenendum est eam esse ex delicto: quia haec et difficilius contrahitur et facilius dispensari poterit. (D'Annib. I. n. 408) Ex dictis patet irregularitatem per se nullatenus habere rationem poenae, cum e defectu prorsus inculpabili incurri possit. Neque ipsa irregularitas ex delicto proprie rationem poenae habet: siquidem Ecclesia in ea statuenda minus intendit punire delictum, quam arcere indignos a clero; ipsa tamen poenae instar, et quidem gravissimae, merito habetur. (Gasp. op. cit. n. 179)

Omittimus divisionem irregularitatum in perpetuas et temporaneas, quia perpetuitatem in omnibus proprie dictis irregularitatibus requiri opinamur: pariter divisionem in totales et partiales, quia sola totalis irregularitatem proprie dictam constituit, dum partialis, ex. gr. quae arcet tantum a celebrando Sacro, potius dicenda est mera prohibitio, quae non nisi improprie irregularitatibus accensetur.

## § 2. QUOMODO INCURRATUR ET TOLLATUR IRREGULARITAS.

**631. I. Subjectum** irregularitatis est omnis et solus vir baptizatus, ut liquet e supra data definitione. Nullus autem inter baptizatos ab ea incurrenda immunis est, praeter Rom. Pontificem.

**II.** Idem fidelis ligari potest **pluribus irregularitatibus**: quae proinde omnes in dispensationis petitione erunt exprimendae. Multiplicantur autem certo irregularitates, si causa earum prorsus diversa est, puta illegitimitas et homicidium. Ubi vero causa similis est, probabilius non multiplicantur irregularitates ex defectu: sic unam tantum irregularitatem ex defectu lenitatis contraxit iudex qui decem homines morte damnavit. Pariter irregularitates ex delicto non multiplicantur si actus repetuntur in eodem subjecto, ex. gr. si sacerdos suspensus pluries celebravit; sed multiplicantur si subjectum diversum est, ex. gr. si decem rebaptizavit. (D'Annib. I. n. 405; Gasp. n. 197)

**III.** Licite ordines suscipere potest qui laborat irregularitate **dubia**, sive dubium sit juris, nempe circa legem qua irregularitas fuerit statuta, sive dubium sit facti, nempe circa defectum vel delictum ob quod in casu incuratur. Odiosa enim non sunt imponenda nisi certo probentur. Excipitur tantum, ob dispositionem Juris (Decr. l. 5. t. 12. cc. 16, 20, 24), casus quo quis jam clericus dubitat num ipse actione sua causa fuerit homicidii quod certo contigerit. Haec autem Juris dispositio, cum sit stricte interpretanda, nec mutilationem dubiam comprehendit; neque alios effectus habet quam qui in Jure exprimuntur, vid. ut a Sacro celebrando absteineatur et dispensatio quaeratur. (S. Alph. n. 347)

Attamen de quibuslibet irregularitatibus, quando dubium est positivum, diligens exploratio facienda est ut dubium deponatur, nisi forte haec mora grave damnum allatura sit, puta quia interim transiret ordinum suscipiendorum opportunitas. Consultius tamen erit, quotiens manet dubium grave, dispensationem ab episcopo petere: ne forte postea, apparente veritate facti, clericus ab ordinibus exercendis impediatur. (D'Annib. n. 404)

**632. IV.** Irregularitas ex defectu incurritur etiam **ab ignorante** et sine ulla culpa: nullatenus enim poenae rationem habet, quamvis ex aliquo delicto ortum ducat.

Irregularitas ex delicto, cum sit gravissimae poenae instar, non incurritur nisi ob peccatum grave, internum simul et externum, quamvis omnino occultum esse possit. Cfr. dicta de censuris n. 568. Ab eadem incurrenda excusat, saltem probabilius (S. Alph. n. 350), ignorantia legis ecclesiasticae qua crimen commissum prohibetur: quod potissimum deducitur ex *c. Proposuiti* (Decr. Grat. dist. 82), ubi Innoc. I declarat non esse deponendos clericos incontinentes (quod crimen tamen legi naturali adversatur), quia ignorabant legem qua Siricius Papa clericos incontinentes ab ecclesiastico ministerio removerat. Immo probabilius excusat ignorantia irregularitatis quae alicui delicto ab Ecclesia affixa sit: haec enim est poena extraordinaria quae ab ignorantibus non incurritur. (Vol. I. n. 144)

**V.** Irregularitates proprie dictae **cessant** per solam dispensationem. Hanc autem concedere possunt:

1º R. P. in quibuslibet irregularitatibus, saltem valide, cum e lege mere ecclesiastica oriuntur.

2º Episcopi, sive per se, sive per delegatos suos:

a) In irregularitatibus omnibus ex delicto occulto provenientius, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum: ut ipsis concessit Trid. Sess. 24. de

ref. c. 6. Episcopi autem nomine hic venit is cujus est ordinare (D'Annib. n. 406 nota 19, et, si agitur de ordinibus exercendis, is in cujus dioecesi clericus irregularis domicilium (non nudum quasi-domicilium) habet. Extenditur potestas dispensandi, utpote late interpretanda, ad irregularitates de quibus dubium est utrum ex defectu an ex delicto oriantur.

b) In irregularitatibus dubiis, ad cautelam, ita ut, si postea appareat impedimentum adfuisse, nulla requiratur dispensatio a R. P. pro ordinibus seu suscipiendis, seu exercendis. (Gasp. n. 230)

c) In irregularitatibus ex defectu, etiam occulto, tantum ex causa graviore et urgente. Haec dispensatio probabilius absoluta erit, si ad ordines suscipiendos concessa fuit; si vero data est ad ordines exercendos, quamprimum ad S. Sedem erit recurrendum. (D'Annib. l. c.; Gasp. n. 231)

3<sup>o</sup> Praelati Regulares cum suis subditis in omnibus irregularitatibus, excepta ea quae oritur ex homicidio voluntario. Ita concessit S. Pius V Const. *Ad immarcessibilem*, 6. Febr. 1567. (S. Alph. n. 469) Attamen varia dubia de extensione et usu hujus concessionis aliarumque similibus moventur: quae videsis ap. Piatum. (Prael. J. Reg. II. p. 90 seqq.) In praxi consulat unusquisque ordinis sui privilegia.

Insuper generale privilegium tributum est professioni religiosae ad tollendam irregularitatem e defectu natalium (Decr. l. 1. t. 17. c. 1); manet tamen interdicta, sine speciali dispensatione, promotio ad praelaturas etiam regulares. Eundem effectum tribuunt communiter Canonistae (Schmalzgr. in. l. 1. Decr. t. 17. n. 6) votis simplicibus in Societate Jesu nuncupatis: quia Regulares proprio sensu constituunt, non quia iste effectus tamquam speciale privilegium concessus fuerit Soc. Jesu, ut opinatur Gasparri. (op. cit. n. 247) Igitur, cum censeamus eos qui vota simplicia in aliis ordinibus stricte dictis nuncupant, esse et ipsos Regulares proprie dictos (n. 74.) eundem effectum probabilius his quoque votis agnoscendum ducimus. Contradiciunt tamen plerique recentiores (Piat. op. cit. I. p. 158), quia censent professos votorum simplicium nondum esse vere Regulares. (1)

(1) Gasparri (l. c.) censet S. C. Ep. et Reg. 20 Jan. 1860 expresse adhaesisse huic opinioni, quando interrogata num provinciales cum hujusmodi professis dispensare possint in defectu natalium, respondit: "Affirmative, pro prima tonsura et ordinibus minoribus, quatenus provinciales ex apostolico indulto legitime gaudeant facultate dispensandi super dicta irregularitate eaque revocata non fuerit." (Bizz. Coll. p. 909) Verum S. C. de re prorsus diversa, vid. de facultate dispensandi, interrogata, de ea sola respondet; si de privilegio praesenti tacet, inde concludi tantum potest, eam noluisse praejudicium alterutri sententiae inferre, sicut jam antea consulto abstinuerat a condicione illorum professorum definienda. Cfr. n. 74.

4<sup>o</sup> Confessarii Regulares, saltem si talis facultas ipsis a Superioribus suis concessa fuit, dispensare possunt cum saecularibus in omnibus irregularitatibus pro quibus idem licet episcopis cum subditis suis, ut concessit Sixtus IV (Const. *Sedes Apostolica*) Ordini Minimorum, et confirmavit Julius II. (Const. *Dum ad sacrum*) Insuper, per communicationem cum Passionistis (Rescripto Pii VI, 27 Maii 1789), dum sacris missionibus vel exercitiis tradendis incumbunt, dispensare possunt, pro foro conscientiae et in actu sacramentalis confessionis tantum, ab omnibus irregularitatibus occultis etiam specialem, expressam et individuum mentionem exigentibus. (Ball. P. n. 626)

Attende nullam dispensationem esse petendam, quando delictum occultum, ex. gr. homicidium, sine gravi periculo manifestari nequit (D'Annib. l. c.): nemo enim tenetur ad prodendum crimen suum quo sibi infamiam, aliis scandalum generet. Cfr. Vol. I. n. 140.

## CAPUT II.

### DE SINGULIS IRREGULARITATIBUS.

#### § I. DE IRREGULARITATIBUS EX DELICTO.

633. I. Ex iteratione baptismi irregulares fiunt qui rebaptizatur, qui ministrat rebaptizanti, qui rebaptizat, modo a singulis culpa gravis committatur. (n. 117 seqq.) Attamen, ex Decr. i. 5. t. 9. c. 2, qui ministrat in occulta iteratione baptismi, irregularitatem non incurrit; unde probabilius idem dicendum de occulte rebaptizato vel rebaptizante. (Gasp. op. cit. n. 324) Similiter solvendus est casus quo alterutri actioni baptizandi aliquid ad valorem requisitum desit: sic enim non habetur, sensu stricto, iteratio baptismi. Tandem si quis jam baptizatum iterum sub condicione rebaptizat, sed absque dubio rationabili de valore prioris baptismi, juxta communiorem sententiam (Bened. XIV, de Syn. l. 7. c. 6. n. 2 seqq.) fit irregularis. Nihilominus sententia contraria probabilis est, quia per condicionem adjectam excluditur error rebaptizantium, contra quem ista irregularitas lata est. (Gasp. n. 329)

II. Ex sollemni exercitio ordinis non suscepti irregularis fit probabilius solus clericus (S. Alph. n. 359): quia titulus Juris (Decr. l. 5. t. 28) quo haec poena statuitur, inscriptus est: *De clerico non ordinato minis-*